



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. An talis remisso, ab Episcopo facta, sit alienatio, & quidem
prohibita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS XIII.

De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

DECISIO LXXXVI.

De remissione debiti, quo unus locus pius adstringebatur alteri, facta ab Episcopo.

SPECIES FACTI.

Certa Communitas Religiosa à quodam Hospitali opulentissimo cum consensu Reverendissimi ac Celsissimi Principis & Episcopi, cujus Antecessores & dictam Communitatem & Hospitale præfatum fundarunt, quinque millia Imperialium mutuo accepit, & super hocce credito obligationem scriptam dedit Administratoribus Hospitalis, quos inter supremus erat ipse Episcopus. Lapsis aliquot annis idem Celsissimus ex commiseratione & munificencia erga Communitatem Religiosam ære alieno prægravatam non modò ab omni debito horum 5000. Imperialium illam clementissimè absolvit, sed etiam per speciale Rescriptum subordinatis sibi Administratoribus Hospitalis mandavit, ut Chirographum, quo mutu-

um hoc farebatur, & obligationem ipsam contestabatur Communitas Religiosa, eidem reddant, ac si ipsa Capitalium Summam persolvisset, addiditque, alià viâ & modò pro summa credita satisfactum iri Hospitali. Hæc Rescripto sine ulla tergiversatione motam gesserunt subordinati Prædicti Administratores Hospitalis, & dictum chirographum debitori Communitati gratulantes restituerunt. Quia vero piissimus Princeps paulò post à vita sublati, & promissa Hospitali satisfactio, ac mutuata summa restituta non est secuta, post obitum ipsius Prædicti subordinati sæpius memorati Hospitalis litem moverunt, per viam Juris solutionem crediti à Communitate Religiosa faciendam urgentes. Jam

QUÆSTIO.

An hæc à Celsissimo Principe, & Episcopo facta remissio debiti habenda sit pro alienatione illegitima, & invalida?

Rationes Dubitandi.

Pro affirmativa facit I. Quòd nomine alienationis veniat vel maximè

donatio. c. 5. de reb. Eccl. alien. vel donationi æquivalet remissio debiti.

vidi, & in effectu est donatio: ergo
 hac remissio fuit alienatio proprie di-
 cta, & quidem valde damnosa Ho-
 spitali, cum pro debito valde notabili,
 nempe 5000. Imperialium, quos dedit
 remittens, nihil receperit, uti tamen à
 remittente promissa fuit satisfactio ali-
 quæ præstanda; neque mortuò jam
 Episcopo aliquid sperare ab ipso am-
 plius possit. II. In potestate Admini-
 stratorum non fuit tam notabilem fa-
 cere donationem, aut liberalem tanti
 debiti remissionem. Text. & DD. in
 c. 2. de donat. cum non sint Domini
 rerum, quas administrant, sed tantum
 Procuratores. c. cit. quibus non licet
 tam liberaliter res & jura aliena pro-
 fundere. III. Si hæc debiti remissio
 non foret alienatio prohibita in Jure,
 tunc ideo, quia fortè fuisset tantum
 Expromissio, vel Novatio seu potius
 Delegatio, h. e. novi debitoris substi-
 tutio: sed nec fuit expromissio; quia
 ad hanc requiritur, ut certus ac deter-
 minatus substituatur debitor, qui de-
 bitum in se suscipiat, id quod hic fa-
 ctum non est, cum rescriptum Prin-

cipis sic sonet: Sie sollen indessen
 gewärtig seyn (subordinati Admini-
 stratores) wie dieses nemliche Ca-
 pital anderwärtig ersetzt werde.
 Nec fuit delegatio; partim quia ad hanc
 necessarium est, ut delegatus, seu no-
 vus debitor, prius fuerit debitor dele-
 gantis; aliàs enim non delegatio foret,
 sed accessio vel fidejussio, per quam
 alter accedit debitor, priore adhuc ob-
 ligato. Alex. conf. 360. & conf. 173.
 n. 2. 3. Socinus in l. qui usumfructum
 n. 19. 20. ff. de V. O. partim quia non
 sufficit generaliter tantum & implicite
 alium debitorem substituere, sed opus
 est explicitè eum nominare cum ani-
 mo novandi. Cavallos in Speculo
 Aureo. q. 754. n. 10. Gail. 2. observ.
 3. Atqui Princeps, qui deberet esse
 delegatus, nec fuit debitor delegantis,
 qui deberet esse Communitas Religio-
 sa, nec explicitè se nominavit debi-
 torem cum animo novandi. Adde,
 quòd Communitas debuisset delegare
 novum debitorem, non alius, qui ad
 id non habuit mandatum.

Rationes Decidendi.

Hæc tamen & similia tanti non ex-
 timo, ut assensum extorqueant.
 Censeo proin, remissionem hanc debi-
 ti non fuisse alienationem veram;
 vel, si fuisset, saltem non prohibitam
 aut invalidam. Quòd vera alienatio

non fuerit, indè colligo, quòd non
 fuerit simplex remissio aut condona-
 tio debiti, qua Hospitale verè & pe-
 nitus suo credito, aut omni debitore
 privatum sit; sed potius fuit vel dele-
 gatio, quæ est tertia Novationis spe-
 cies.

R r r 3

cies, qua nimirum mutatur persona debitoris, & primus debitor liberatur substituto alio; vel fuit *expromissio* liberalis, qua quis alienum debitum sponte in se suscipit. Siquidem Celsissimus Princeps & Episcopus jubendo restitui chirographum Communitati Religiosæ, & se obligando ad alio modo satisfaciendum Hospitali pro debito 5000. Imperialium, liberare voluit debitorem priorem, nempe præfatam communitatem, & se ipsum substituere vel constituere debitorem, licet modum & tempus solvendi non determinaverit; quæ determinatio aut expressio modi vel temporis ad delegationem vel expromissionem ex nullo Jure, nulla auctoritate, & nulla ratione probatur esse necessaria; nam *delegatio* est *novatio*, qua loco prioris debitoris substituitur alius consentiens, & contrahendæ obligationis capax. *l. 1. l. 11. ff. § l. 6. C. de Novat.* & ibi DD. modò, ut habet communior, & Stryckius in *Ufu moderno Pand. tit. de Novat. §. 3.* notat ex *l. ult. ff. eod.* specialiter exprimitur *Novatio*, seu cassatio antiquæ obligationis, quæ expressio hic non deerat, consequenter effecit, ut obligatio ex parte primi debitoris, atque inde orta in eum actio cessaverit. *l. 20. ff. l. 2. l. 3. C. eod. §. 3. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. 187. ff. de V. S.* ac translata sit in eum, qui liberè voluit substitui, sive dein sit actio ex stipulatu, si per stipulationem, sive condictio ex moribus, si per nudum pactum interventio est facta. per Jura cit. Lauterbach ad *tit. de Novat. ff. §. 21. P.* Franciscus

Schmier de Pactis & Contract. c. 2. n. 209. alique. *Expromissio* autem, vel potius *Expromissor* dicitur, qui sponte alienam obligationem in se suscipit, tanquam alienæ obligationis vicarius, seu, qui pro alio novandi animo promittit. Almers in *Manuali Juris. Expromissor.* Jo. Calvin. in *Lexico V. Expromissor.* ex *l. ult. ff. ad S. C. Manu. l. 22. ff. de S. C. Vellejan. l. 7. §. 1. ff. de dolo malo.* Consonat *l. 8. §. 1. ff. de Novat.* ibi: *quod enim ego debui, si alius promittat, liberare me potest, si novationis causa hoc fiat -- liberat autem me is, qui, quod debeo, promittit, etiamsi nolim.* Atqui Celsissimus, quod debebat *Communitas Religiosa*, promittit, seu pollicitus est, se curaturum, ut Hospitali satisfiat alio modo, quem tamen non determinavit, sed quidem promittit *novationis causa*, ut quod expressè cassaverit obligationem prioris debitoris, curando, ut ei chirographum restitueretur. Qui autem alterum ab obligatione liberat, & novum debitorem non nominat, se ipsum obligare tanquam debitorem censetur. per *l. 8. §. fin. ff. de Novat.* consequenter satis determinat prioris nam novi debitoris, nempe *Communitatis*, quæ tam diu hæret obligata, quam diu aliam loco sui non substituit. Ex quibus apparet satis, remissionem debiti factam *Communitati Religiosæ* potius delegationem vel expromissionem fuisse, quam alienationem, eò quòd tantundem, imò idem sit promissum Hospitali, quòd debebat *Communitas Religiosa*, & tantum

ius, ac melior, habentiórque de-
rior, nempe Celsis. pro illa substitutus

Quod verò, licet permitteretur
alienationem fuisse, ea tamen nec
prohibita nec invalida existisset, o-
bmittitur ex *can. 15. 16. 20. 50. seqq.*
caus. 12. q. 2. c. 1. 3. 7. 8. de his, quæ
fiunt à Præl. c. 1. 2. de reb. Eccl. alien. in
cl. Clem. 1. Extrav. Ambitiose int. Com-
muna. eodem. Ubi prohibetur & irri-
tatur sola illa alienatio rerum Ecclē-
siasticarum, quæ sit sine iusta cau-
sa, ac solennitate Juris, & quando
res immobiles aut mobiles pretiosæ
alienantur. Sed in præfenti contin-
gentia facti adsunt *iusta causa* & suffi-
ciens, nempe pietatis, qua pauperi
Communitati Religiosæ, alieno ære
gravata ex Hospitali ditissimo succur-
ere æquissimum fuit; hanc enim cau-
sam Doctores passim habent pro ju-
sta, & sufficiente, ut Episcopus res
vel redditus unius Ecclesiæ vel loci pii ab-
undantes applicare alteri indigenti val-
deat, etiam absque solennitate ulla.
Redoanus de reb. Eccl. alien. c. 47.
rubr. 21. n. 20. præsertim in ordine ad
donandum Monasterium jam con-
fructum: quo casu id permittitur
etiam ad quinquagesimam, per *text. gl.*
Hollens. & Abb. in c. Apostolicæ 9. de
donat. & Redoan. lo. cit. casu 9. n. 1.
Specialiter hoc videtur procedere, si
unusque loci *fundator* sit ille ipse E-
piscopus, qui talem facit translatio-
nem, ut nimirum utramque suam

prolem sustentet, & in ævum con-
servet: quod bene notandum: sed
respectu Communitatis æquæ ac Hos-
pitalis Fundatores existunt Celsis-
simi, debitum remittentis Anteces-
sores.

Nec defuit *solemnitas*; cum alia in
hoc casu non fuerit requisita, quam
consensus Episcopi tanquam Superio-
ris, & Administratorum Hospitalis,
qui Episcopo haud gravatè consense-
runt, imò gratulantes reddiderunt
Communitati Religiosæ chirographum
crediti & debiti testem. Adde, quod
nulla solennitas fuerit necessaria, cum
nulla res immobilis, aut mobilis pre-
tiosa, aut census annui, immobili-
bus æquivalentes, sed sola pecunia,
mutuò absque censibus vel usuris sti-
pulatis data, non fructifera, nec æqui-
parata pecuniæ in cista reclusæ ad rem
immobilem emendam juramentò vel
votò destinata, adeoque res mobilis
tantum, non pretiosa, nec ad thesau-
rum Hospitalis pertinens, fuerit trans-
lata. Accedit, quod tantundem fue-
rit promissum, & sic etiam ex hoc
capite nulla solennitas necessaria. *text.*
in can. injustum §. item si Rectores. 55.
can. si quis. 56. can. Episcopus. 58. caus.
12. q. 2. Redoan. Rubr. 11. n. 35. 44.
casu 28. q. 2. n. 29. allegans alios, &
casu 25. n. 1. Consentit Abbas in *c.*
nulli liceat de reb. Eccl. alien. & alii
communiter. Ergo, etsi fuisset alie-
natio, non tamen prohibita vel inva-
lida fuisset, hæc debiti remissio.

Occur-

Occurritur Oppositis.

PLeraque ex his corruunt ex primùm allatis decidendi rationibus. Quippe ad l. 8. restitutionem chirographi, & inductam inde liberationem Communitatis Religiosæ à debito vel non fuisse alienationem, sed delegationem aut expromissionem; vel, si fuisset alienatio, pro illicita tamen & invalida non habendam, non obstante, quòd per accidens fortè aliquod inde damnum patiatur Hospitali, cum iusta remittendi debitum causa subsuerit, propter quam Episcopus, consentientibus subordinatis administratoribus ab opulentissimo Hospitali pecuniariam summam 5000. Imperialium transferre potuerit in egenam Communitatem Religiosam, ab eodem pariter Episcopo fundatam. Ad II. Ferè eadem est responsio; nam neque fuit donatio, vel, si fuisset, nec illicita nec invalida fuisset ob adductas rationes.

Ad III. Satis utique determinatus & certus est debitor, qui pro altero promittit, eumque restitutio chirographo vult esse liberatum; se ipsum enim obligat & substituit, licet modum, quo solvere aut satisfacere possit aut velit, non statim exprimat; quòd ultimum exprimere in delegatione vel expromissione necessarium non est, præsertim si creditor determinationem non exigat, & ipsi perinde sit, sive hoc sive alio modo consequatur solutionem. Gratis quoque ad delegationem requiritur, ut delegatus antecedenter fuerit debitor

delegantis, aut ab hoc mandatum habeat; cum nullum Jus prohibeat, nisi la ratio vetet, quòd minus, etiam non debitor, & proprio motu, ipsum pro debitore loco alterius constitui valeat, ut docet Communitas cum Aretino *Conf. 5. per tot.* ubi Saccinum & alios contrarium sententiam refutat. Matth. de Afflictis *dec. 93. n. 3.* Brunnem. in l. 11. ff. de Novatione *n. 2.* ibi: nec refert, an debitor delegantis, vel extraneus, delegatus nihil debens. Mantica de iur. *Episcop. convent. to. 2. l. 17. tit. 8. n. 1.* Stryck. de cautel. *contract. sect. 4. c. 1. n. 2.* ubi addit, quòd in tali casu delegatus, qui non fuit debitor, in effectu sit constituens; *constituit enim pro alio soluturum.* Molina de J. *Episcop. ir. 2. d. 559. n. 4.* Mevius, Azor. Animus novandi autem satis clare expressus per hoc, quòd Episcopus voluerit expressè liberari à debito Communitatem Religiosam, eam restitui chirographum, quòd & Pæfides subordinati, libenter & libere consentientes, executi sunt. Ad quòd multi doceant cum Fachin. *l. 3. controv. c. 92.* etiam ex contrariis induci novationem, ubi habent sententiam vocat communioris & verioris. Cavallos in contrarium delegatus se fundat in speciali Legge Regia, non in Jure Communi. Cui opponitur aliorum longè communior. Necessitas autem delegandi per ipse ale mandatum à debitore datum est.

in illo capite probatur; cum delegatus se ipsum constituere possit, uti notari ex Stryckio, & de Jure solvi possit pro alio etiam invito; solutionis autem species sit delegatio.

Queres, an ergo nullum Hospitalium remedium amplius competat adversus Communitatem Religiosam? Nullum. Sumitur ex textibus in §. 1. tit. quib. mod. toll. oblig. l. 18. ff. de pign. l. 8. §. 3. ff. de S. C. Vellem. l. 11. ff. l. 3. C. de Novat. Brunem. tit. n. 4. Stryck, §. 3. P. Schmier n. 27. & alii passim, qui Creditori, si a Debitore delegato & substituto non possit consequi debitum, negant regressum adversus primum Debitorem; quia sibi imputare debet, quod in delegatum consenserit, & primum Debitorem ab obligatione dimiserit. Dein hoc arguo: si in presentem competeret Hospitali remedium, vel competeret remedium nullitatis, vel condictio certi ex mutuo, vel beneficium extraordinarium restitutionis in integrum: sed nullum ex his competit: non remedium nullitatis, quia hoc fundaretur in alienatione rerum Hospitalis invalida: sed presentem debiti remissio nec fuit alienatio, nec, si alienatio fuisset, prohibita aut invalida fuit. Non conditio certi ex mutuo; quia hæc eliditur per exceptionem solutionis, æquivalenter factæ per delegationem vel expromissionem; nam utraque est virtualis solutio, & solutionis species. per Jura citata & communem D. D. præsertim paulo antè allegatorum; licet à novo Debitore nihil esset obtineret.

(R. P. Picbler Decisiones.)

bile. Alimers & Calvin. v. delegatio §. v. expromissor. Lauterbach ad tit. de Novat. ff. §. 19. §. 21. Struv. exercit. 74. th. 64. §. 161. ibique Müller litt. D. Carpz. p. 2. consil. 28. def. 32. Jurisprud. for. Mev. p. 3. decis. 366. n. 1. Facit etiam l. 20. ff. §. l. 2. C. de novat. l. 53. ff. de contrab. empt. l. 187. ff. de V. S. Denique non beneficium Restitutionis in integrum. Vel enim hæc debiti remissio consideratur ut alienatio, Hospitalis læsiva? & hæc non fuit contra Jura, ut probavimus, adeoque non inferens læsionem injustam; ubi autem læsio non fuit injusta, restitutio in integrum justa non est; cum injustè repeteretur, quod justè datum dignoscitur. Vel consideratur ut delegatio aut expromissio? & iterum restitutio in integrum non procedit; cum ista Minoribus, ad quorum exemplum gaudent eodem beneficio Ecclesie & Hospitalia, negetur, quando contingit læsio per casum fortuitum, v. g. per mortem vel fatum. text. & D. D. in l. fin. C. de in integr. restit. l. 11. §. Item ff. de Minor. ibi: Item non restituitur, qui sobriè rem suam administrans occasione damni non inconsultè accidentis, sed fatò, velit restitui; nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas: §. ita Pomponius lib. 28. scripsit. Unde Marcellus apud Julianum notat, si Minor sibi servum necessarium comparaverit, mox decesserit, non debere eum restitui: neque enim captus est emendo rem sibi pernecessariam, licet mortalem. Conferatur Galef. de restit. in integrum ex Elicto Minorum c. S s s

fio

3. n. 9. Atqui Hospitali contigit læsio (si tamen contigit) per casum fortuitum, nempe per mortem & factum Principis, quod in *d. l. pro casu fortuito* habetur, tanquam Delegati Debitoris aut Expromissoris, non per inconsultam facilitatem Curatorum seu Præsidum Hospitalis, utpote qui in hanc delegationem vel expromissionem prudenter & circumspectè consenserunt; cum à Celsissimo vel Expromissore vel Delegato Debitoræ æquè certè, imò certius & citius, utpote melius habente, vel modum solutionis consequendæ facilius subministrare potente, satisfactionem sperare poterint. Notanter dixi, *si tamen contigit læsio*, de quo non immeritò dubitatur, cum Episcopus tantundem aliâ viâ solvendum Hospitali promiserit.

Unde, ne per Delegationem aut Expromissionem, qua Communitas Religiosa à debito liberata est, læsio Hospitali eveniat, actio fortalls, nempe

condictio ex moribus, eidem Hospitali competet contra Hæredes defuncti Episcopi, qui satisfactionem alio modo præstandam Hospitali promiserunt, cum Juris sit, ad Hæredes universum defuncti jus, seu sicut commoda ac jura, ita onera ac obligationes transferri. *l. 37. ff. de acquir. vel amit. hered. l. 59. ff. de R. J.* Vel, si ab Hæredibus defuncti satisfactionem sibi promissam desperet Hospitalis, fors regressum habebit adversus subordinatos suos Administratores, chirographum restituentes, casu quo negligentes fuissent in procuranda ab Episcopo promissa satisfactione per aliam viam præstandam eo adhuc vivente; si enim in tempore apud eundem influissent pro satisfactione, is utique illam præstare convenienter suæ promissioni. Quæ propter de læsione nulla adhuc constat, nec spes omnis suum consequendi mutuum extincta est Hospitali.

